



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sapientissima Dei Mvndvm Regentis Gvbernatio; Ex qua
pendent, quæ vulgò in Casv, Fortvna, Fato, Esse Pvtantvr**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 12. Aduersis pressos [Christi] exe[m]plis roborari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52314](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52314)

que res Ecclesie semper angebantur, & per miracula vigeant, & quæ minus leta principia habuerunt, incundos exitus demonstrarunt. Hæc S. Pater.

§. XII.

Aduersis pressos Christi exemplis roborari.

Luc. 23.
31.

2. Reg.
11.

Quoties ista animo occurrunt, occurrere debet & illud: *si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* si Deus Filio suo vnigenito non pepercit, cur nos non vellemus, etiam in nostro corpore, stigmata I E S V Christi portare? Vrias inuitatus, immo iussus à Dauid rege, vt in domum suam iret, & à belli labore requiesceret, respondit: *Arca Dei & Israël & Iuda habitant in papilionibus, & dominus meus Ioab, serui Domini mei super faciem terræ manent; & ego ingrediar domum meam, vt comedam & bibam, & dormiam cum uxore mea? per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ, non faciam hanc rem.* Hoc eodẽ argumento vtuntur, qui acerbissima, quæ Christus tulit, animo habent memoriæque infixæ. Dux meus, inquit, & Conditor totius Mundi, paruulus è patria fugere ab Herode compulsus est; & ego *Fortuna irascar, quæ me exulem fecerit? Dominus meus, pro tot miraculis ac beneficijs, tantis*

tis

tis blasphemijs est affectus, & ego infaniam, si me frater meus dicto momordit; immo si eum alius nequiter mentitur, momordisse? Redemptor meus à suo discipulo proditus est; & ego tanti faciam falsorum fratrum delationes, accusationes siue à cæci animi vindictâ prouenientes? At nocent? at nulla calumnia caret effectu? nec semper, qui iudicant, iudicant, sine affectu? dignos deiiciunt de gradu, manifestè indignos, sanguine coniunctos, vel adulatione gratiosos promouent? Etiam Iudæi Barabbam Christo præposuerunt; homicidam ei, à quo vita mortuis est restituta. A talibus iudicibus tale iudicium tulit summus iudex. Dicitur: Domino meo hæc acciderunt, & ego me illo putabo meliorem? *Non faciam hanc rem.* At homines, qui me antè suspexerant, iam contemnunt & rident? Contigit & hoc Christo, quem tantorum miraculorum patratorem, inter iniquos, deputauerunt, atq; in medio latronum, cruci affixerunt. Seruatorem imitantur, non qui risum cachinnis compensant; sed qui nôrunt tacere, dum in cælum clamant iniuriæ, quas patiuntur.